

SECULUM
XII.

Post mortem Adalberonis recruduerunt lites circa monasterii libertatem ab advocatia episcoporum Basileensium, quamvis Bertholdus episcopus, ut supra meminimus, ipse simul signarit chartam immunitatis ab Henrico V. anno 1125. datam, ideo forte, quod Basileensis ecclesia contenderit, immunitatem tantum ab Adelgozo de Werra subadvocato, qui in charta Conradi III. an. 1138. apud P. Herrgott designatur, concessam esse monasterio. Illa certe immunitate haud obstantes tandem in apertam flammam erupit, ventumque ad arma, Bertholdo S. Blasii abbate, ut vim vi repelleret, ministeriales suos viciniore nobiles, & fautores, nec non homines ligios per Nigram silvam, omnisque generis vassallos, fidelitatis suæ admonitos convocante, ac rusticorum ope vallibus & fossis, quarum subinde vestigia cernuntur, & concædibus arborum sese muniente. Ad regia demum tribunalia itum, eoque conventum, ut quatuor a monasterio acceptis curtibus Sierenzo, Loufen, Ottingen & Filnacker coram Conrado III. rege Argentinae 1141. Id. April. advocatia cederet præfens Ortliebepiscopus, cum *Wernero comite advocato suo, magnaue parte cleri & populi Basileensis*, ut habet charta apud P. Herrgott: aderat etiam Bertholdus abbas S. Blasii cum suo advocato Conrado duce de Zaringen, ac fratribus suis.

Geneal. cit.
pag. 159.

L. c. p. 165.

Vid. Mabill.
annal. T. I.
pag. 453.

Meminit eiusdem advocati Conradi ducis Zaringensis, quem San-Blasiani pro iure suo elegerant, chronicon Burglense c. 16. dum donationes commemorat super Sanctorum reliquias fieri solitas, ac emtionem Wiperti monachi S. Blasii & præpositi in Burglen. *Sed quia, inquit, reliquias Sanctorum non habuit in presenti Wipertus, rogavit Chounradum ducem, advocatum S. Blasii, ut iam dicta prædia susciperet in sua fide ad faciendum de eis, quod ipse rogaretur, quod & fecit. Nam veniens idem dux Chounradus in locum, qui dicitur Scovnovva in publica venatione, adfuit & Wipertus simul, & Oudalricus, qui Prioris fungebatur munere. Admonitus de fide dux Chounradus, tradidit super reliquias S. Blasii sanctique Ioannis prædium prædictum absque omni contradictione, & ex illa die cessit in ius legitima possessionis monasterii S. Ioannis apud Burgilum. Idem porro eidem ecclesiæ Burglen, ut ibidem capite sequente notatur, Chounradus dux de Zeringen dedit Deo & S. Ioanni ob remedium animæ suæ unam scovpozam in villa Scalsingen.*

In MS. chronico San-Blasiano sec. XII. quod in Murenfi & Engelbergenfi monasterio studiose fuit conservatum, adnotantur varia imperatorum edicta in hac controversia de libertate monasterii S. Blasii a subiectione & advocatia Basileensis episcopi. Ac primum quidem edictum Henrici V. imp.
datum